

tendendo, *Hoc est divinitas* : ergo *a pari* de pane et vino, naturam suam retinentibus, absurde diceretur : *Hoc est corpus Christi*; *Hic est sanguis Christi*. Ergo 1°.

2° Non de *consubstantiatione*. Nam similiter et *a fortiori* utraque simul existeret substantia : verba igitur Christi significanter, *hic*, id est, *in hoc vel sub hoc pane est corpus meum*, *in hoc vel sub hoc vino est sanguis meus* : atqui talis sensus evidenter est contortus, usui communi contrarius et sermonis subversio. Si quis enim aurum in frustulo panis occultasset, et panem ostendendo diceret *hoc est aurum*, a nemine intelligeretur : ergo *a pari* Christus insulse locutus fuisset, quod est impium. Unde ipsi Calvinistæ fatentur prædicta verba de præsentia reali intelligi non posse, quin simul de transsubstantiatione intelligantur. Nullius sunt ponderis exempla a Lutheranis allegata, v. g., dici posse, ostendendo dolia vel lagenas, *Hoc est vinum* : *Hoc est cerevisia*, etc., quia, ex usu recepto, vas pro liquore contento nominari solet : nihil simile est autem in pane et vino relative ad corpus et sanguinem Christi; ergo 2°, etc. Aliunde, etc. Ergo, etc. Ergo 2°.

3° *Traditione*. Testimonia enim S. Gregorii Nysseni, S. Cyrilli Hierosolymit., S. Ambrosii, S. Cæsarii Arelat.. S. Joannis Damasceni superius relata, transsubstantiationem evidenter exprimunt vel supponunt, et in sensu Lutheranorum intelligi non possunt, *ut unicuique* attendenti patet. Omnes liturgiae orientales et occidentales, ut testatur P. Le Brun, habent orationem qua sacerdos postulat ut oblatæ fiant corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi : statim atque errores adversus præsentiam realem prodierunt, concilia eos profligantia mysterium transsubstantiationis docuerunt, *ut ostendimus* : ergo non minus constans fuit traditio circa transsubstantiationem quam circa præsentiam realem.

Leibnitz, licet Protestans, hæc habet (*Syst. th. 1, p. 224*):
 « Pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem, passimque » hic veteres agnoscent *Metastoicheiosin*, quam Latini
 « transsubstantiationem recte verterunt, et definitum est

» totam substantiam panis et vini transire in totam substantiam corporis et sanguinis Christi ; et quemadmodum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit. » Ergo 3°, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Qui hanc quæstionem fusius tractatam videre cupierit, adeat opera jam citata, *La perpétuité de la foi, Discussion amicale, Lettre du P. Scheffmacher, Witasse, Tournely, de Pressy*, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. In materia fidei omnis fugienda est novitas : atqui vox transsubstantatio nova est : ergo non adhibenda est.

R. Distinguo min. Vox transsubstantatio nova est quoad syllabas, *concedo*; quoad rem significandam, *nego min.* Etenim vox ipsa in primis traditionis monumentis non reperitur; sed res per hanc vocem designata semper credita est; saepè enim Patres utuntur verbis, *convertere*, *transmutare*, *corpus et sanguinem efficere* : porro illæ locutiones mutationem naturæ exprimunt. Merito igitur vox transsubstantatio usurpata est, ut effectus consecrationis clarus et brevius exprimeretur; sicut in concilio Nicæno I vox *consubstantatio*, inventa est, ut natura Verbi divini accuratius redderetur. Ergo.

Inst. SS. Patres pluribus in locis dicunt *naturam panis*, *substantiam panis*, post consecrationem remanere. Ergo.

R. Dist. ant. Et per naturam aut substantiam naturales qualitates intelligunt, *concedo*; seus, *nego*. Revera plures sancti Patres species eucharisticas, etiam post consecrationem, vocaverunt naturam vel substantiam panis aut vini. Verum ex contextu vel ex aliis eorumdem auctorum textibus, constat eos per hujusmodi voces Eucharistiæ applicatas, qualitates naturales panis et vini intelligere, scilicet colorem, saporem, figuram, etc.; v. g., objiciuntur hæc verba Gelasii papæ, Bibliotheca Patrum : « Certe sacramenta quæ sumimus corporis et sanguinis Domini, divina res est... Et tamen esse non desinit sub-

stantia vel natura panis et vini. » Sed 1^o Melchior Canus, Bellarminus, Baronius aliquique doctissimi viri contra Sirmundum, Petavium et alios scriptores, contendunt librum de Duabus naturis, ex quo citata extracta sunt verba, non esse Gelasii. 2^o Auctor hujus libri, de sacris symbolis ibidem loquens, ait : « In divinam transeunt, sancto Spiritu perficiente, substantiam, permanente tamen in sua proprietate natura, et per eadem (*symbola*) divinæ efficimur consortes naturæ. » Ergo per naturam sensibiles panis et vini qualitates intelligit. Alii textus qui objici solent eadem facilitate explicari possunt. Ergo.

Obj. 2^o. Testimonium sensuum universale, constans et invincibile, certum est veritatis argumentum : atqui sensus nostri universaliter, constanter et invincibiliter, testantur panis et vini materiam post consecrationem remanere : ergo.

R. Nego minorem. Testimonium enim sensuum circa materiæ et vini existentiam, post consecrationem, non est invincibile, siquidem datur revelatio qua reformatur : unde merito cum Ecclesia dicimus : *Si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.*

Inst. 1^o. Naturali propensione ferimur ad judicandum non solum panis et vini sensibiles qualitates, sed et substantiam post consecrationem existere ; ergo Deus, qui est auctor naturæ, nos decipit.

R. 1^o. Nego ant. Naturali enim propensione non ferimur ad judicandum de intrinseca corporum natura, aut saltem in ferendo hujusmodi judicio, testimonio sensuum imprudenter niteremur, cum sensus essentiam materiæ attingere non valeant.

R. 2^o. Nego conseq. Deus quippe ingens dilectionis suæ erga homines prodigium operari volens, revelavit naturam panis et vini per consecrationem transmutari : ergo re ipsa non decipit. Si contingat hostiam consecratam reperiiri coram homine consecrationem ignorante vel eam non credente, qui judicet panem ibi adesse, est error accidentalis, non magis in Deum refundendus quam error eorum qui videntes Christum, et divinitatem ejus nescientes, judicabant esse purum hominem. Ergo.

Inst. 2^o Qualitates sensibiles per se subsistere non possunt, sed indigent subjecto cui inhærent : ergo substantia panis et vini, etc.

R. Dist. ant. Qualitates sensibiles per se subsistere non possunt, naturaliter, *concedo*; supernaturaliter et ex omnipotencia Dei, *nego ant.* Apud omnes enim constat qualitates sensibiles per se naturaliter subsistere non posse ; eas nobis repræsentare non possumus sine subjecto cui inhærent. Sed quid in alio ordine et ex omnipotencia Dei fieri possit, ignoramus. Ergo.

SCHOLIUM.

Catholici, dogma transsubstantiationis admittentes, non sibi consentiunt circa divinæ illius operationis naturam. Scotistæ volunt panem et vinum in instanti consecrationis annihilari, et corpus ac sanguinem Christi e nihilo educi seu produci; ideo hanc conversionem vocant productivam. Thomistæ vero contendunt corpus et sanguinem Christi e nihilo non educi, sed loco panis et vini substitui seu adduci; sieque transsubstantiationem appellant *productivam adductivam*.

Sententia Scotistarum, licet fidei non adversa, doctrinæ catholicae minus tamen congruere videtur. Nam 1^o in eorum systemate, duplex esset divina operatio : una ad panis et vini annihilationem, et altera ad corporis et sanguinis Christi e nihilo productionem : verba autem consecrationis unicam indicate operationem. 2^o ex SS. PP. et conciliis, panis debet converti in corpus et vinum in sanguinem Christi : at, in opinione Scotistarum, vera non existeret substantiarum conversio quam transsubstantiationem vocamus. 3^o Corpus in Eucharistia existens idem est numerice ac illud quod ex Maria natum, fuit flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, suscitatum, etc. Verum quomodo corpus e nihilo productum sic recte diceretur? Probabilior est igitur sententia Thomistarum.

Vasquez ait transsubstantiationem esse relationem ordinis inter substantiam quæ cessat et substantiam quæ vi-

verborum Christi incipit, eamque sic definit : Transsubstantiatio est cessatio panis in ordine ad realem Christi presentiam. Hanc sententiam adoptat P. Véron. (*Regul. fidei*, § 12, n. 5.)

Quidquid sit, fidem divina auctoritate stabilitam firmiter teneamus, et difficultates vel argutias per humanam philosophiam procreat parum curemus, sequentium Magistri sententiarum verborum memores, l. 4, dist. 11 : « Si quis modum quo id fieri possit querit, breviter respondeo : Mysterium fidei salubriter credi potest; investigari salubriter non potest. »

Moeller (*Symbolique*, t. 1, p. 361), occasione dogmatis transsubstantiationis, ait : « Qui ne pense aussitôt au changement moral qui transforme tout notre être? Qui ne se rappelle que l'homme terrestre finit et l'homme céleste commence, tellement que ce n'est plus nous qui vivons, mais c'est le Christ qui vit en nous ? »

« Cette même croyance est l'expression la plus naturelle de l'objectivité de la nourriture divine ; car elle nous montre la substance matérielle anéantie devant l'aliment supérieur. »

§ II.— De natura specierum panis et vini post consecrationem.

Ecclesia, definiendo totam substantiam panis in corpus et totam substantiam vini in sanguinem Christi converti, remanentibus duntaxat speciebus panis et vini, quid sint illae species non dixit. Philosophi vero Christiani et theologi eas explicare conati sunt et in varias abierunt sententias : præcius tantum breviter referemus.

I^a est eorum qui dicunt accidentia panis et vini in corpus Christi transire, et in eo subsistere. Sic corpus Christi qualitates suas naturales et gloriosas, juxta quas nec frangi nec pati potest, retinens, qualitates panis et vini induit, et sub eo respectu est album, rotundum, frangibile, etc. Quando autem hostia consecrata dividitur, Christus juxta ens suum naturale non frangitur, sed totus a seipso separatur et totus est sub singulis specie-

rum partibus. Reipsa tangitur, manducatur et nobis incorporatur, juxta ens suum sacramentale. Hanc sententiam docuerunt, 1^o Anastasius Sinaita in septimo saeculo, in opere dicto græce Οἰτυπός, latine *Conductor*, adversus Eutychianos ; 2^o Guitmundus, Aversanus episcopus, celeber Berengarii adversarius ; 3^o plures alii viri doctrina et sanctitate conspicui eidem sententiae subscripterunt, tum Berengarii tempore, tum in posterioribus saeculis. *Collet* arbitratur eam plus imaginationem quam rationem lädere, et ideo commendandam esse ; quia 1^o a multis sanctis admissa esset ; 2^o tempore Berengarii recepta fuisse videtur ; 3^o antiquorum Ecclesiae doctorum verbis magis congruit ; 4^o recentiori doctrina accidentium absolutorum, de quibus infra, est clarior.

II^a est Petri *Abeillard*, qui tenebat Eucharistiæ accidentia in aere corpus Christi circumdanti residere. Hanc opinionem inter errores *Abeillard* computat S. Bernardus, et S. Th., 3 parte, q. 77, art. 1, concl., ait quosdam dicere accidentia in aere circumstante tanquam in subjecto residere, eosque refellit ; 1^o quia aer hujusmodi accidentium non est susceptivus ; 2^o quia, cum movetur aer, accidentia moverentur, quod tamen falsum est ; 3^o quia accidentia de subjecto in subjectum non transeunt ; *accidens enim numerum et individualitatem accepit a subjecto*. 4^o « Quia cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. Nec potest dici quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis, quia verba consecrantis hoc non significant, quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum. » *Ibid.*

III^a est Guillelmi, abbatis S. Theodorici, S. Bernardi amici, qui profitebatur se nescire in quo præfata Eucharistiæ accidentia residerent ; ex hypothesi quod sint, ad opinandum inclinatur ea esse in corpore Christi, quamvis hæc opinio ipsi videatur contra *omnem saecularis philosophiæ rationem et intellectum* ; Morito in opusculum 11 S. Bernardi, n. 6. Tenebat igitur ipse naturam accidentium prorsus ignorari. Plures sententiae, quam dubitanter et hypothetice, ut vidimus, proponebat, adhæserunt.

IV^a est Durandi a S. Porciano, episcopo Aniciensi et postea Meldensi, in initio decimi quarti saeculi, qui contendebat nullam substantiam in aliam converti posse nisi aliquid prioris substantiae in posteriori remaneat, alioquin non esset conversio, sed unius annihilationis et alterius creationis : panem autem et vinum in Eucharistia non penitus destrui per consecrationem, sed aliquid remanere animae Christi et divinitati intime unitum, in quo eadem utriusque substantiae qualitates sensibiles perseverabant.

Petrus Cailly, parochus Cadomi, et in universitate illius urbis philosophiae professor, Durandi opinionem adoptavit et late extendit, in opusculo cui titulus : *Durand commenté, ou l'Accord de la Philosophie avec la Théologie, touchant la transsubstantiation de l'Eucharistie*. Multum laborabat ut protestantes ad fidem catholicam reduceret, et sibi persuasit Durandi sistema, explicatum et extensem, ad delenda eorum præjudicia circa dogma transsubstantiationis idoneum esse ; verum D. de Nesmond, episcopus Bajocensis, non ita judicavit : per instructionem pastoralem, diei 3 martii 1701, septendecim propositiones ex opusculo excerptas proscriptis tanquam « falsas, » temerarias, erroneas, scandalosas, concilio Tridentino « injuriosas, destructivas praesentiae realis corporis Christi » in Eucharistia, in haeresim circa transsubstantiationem « inducentes. » Cailly huic censuræ humiliter acquieavit eamque ipse coram parochianis suis promulgavit.

V^a est Cartesii, qui supponit 1^o inter panis et vini particulas aliqua reperiiri spatiola, aere vel alia materia plena ; 2^o hanc materiam ad substantiam panis et vini non pertinere ; 3^o vi consecrationis substantiam panis et vini in corpus et sanguinem Christi converti, et materiam in poris earum contentam non desinere ; 4^o accidentia panis et vini in ea materia perseverare, et eadem nobis apparere.

Sed auctor non explicat quid sit illa materia a substantia panis et vini distincta, per se subsistens, que, sensibilis panis et vini qualitates habens, non tamen est panis nec vinum. Pluribus aliis vitiis laborat illud sistema, et ideo ab omnibus rejicitur.

VI^a est Petri Varignon, celebris professoris matheseos in collegio Mazarinæ, nominati anno 1687. In opere inscripto : *Démonstration de la possibilité de la présence réelle de Jésus-Christ dans l'Eucharistie*, supponit 1^o Deum ad verba consecrationis singulas hostiæ particulas etiam insensibiles in corpus organis instructum formare ; 2^o animam Christi singulis hujus modi corpusculis unire, sicque sub singulis hostiæ particulis integrum Christum delitescere ; 3^o moleculas materiae insensibiles mutationem subheuntes, a situ respectivo quo panem constituebant non excidere, ac consequenter eisdem sensationibus occasionem præbere.

At, in ea hypothesi, corpus Christi non esset unicum, nec idem in Eucharistia quod fuit in Maria, in cruce, in tumulo ; nec videtur in quo accidentia panis et vini residerent.

VII^a est P. Maignan, qui vult post consecrationem nihil esse in Eucharistia præter corpus Christi insensibile, id est, per seipsum sensus non afficiens ; sed Deum, nullo mediante corpore, easdem in nobis producere sensationes quæ per panem et vinum immittebantur. Unde species sacramentales nihil sunt a parte rei.

Illa autem hypothesis pluribus obnoxia videtur difficultatibus. 1^o Eucharistia non esset realiter, sed tantum apparetur signum sensibile. 2^o Non videtur quomodo esset signum permanens ; nam, pyxide occlusa vel in tabernaculo deposita, nullæ essent apparentiae, ergo nec sacramentum ; aperta tamen eadem sacra pyxide, rediret sacramentum, cum species de novo apparerent. 3^o Tunc falsa esse viderentur verba concilii Trid. manentibus duntaxat speciebus panis et vini. 4^o Species Eucharisticæ mutari, adulterari et corrumpi non possent, quod experientia et sensus Catholicorum communi aduersatur.

Hæc autem solvi posse plures nunc præsertim asserunt, prædictamque sententiam amplectuntur.

VIII^a est S. Th. qui, in 3 p., q. 77, art. 2, concl., ait expresse accidentia eucharistica esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis et vini remanente, et quantita-

tem sine subjecto existere, idque Deum sua omnipotentia facere posse. Multi theologi, maxime inter antiquiores, huic adhaerent sententiæ quæ dicitur accidentium absolutorum, eamque admittendam esse sequentibus momentis probare conantur: 1º auctoritate concilii Constant., in quo, sess. 8, damnata est hæc propositio Wiclefi: *Accidentia panis non manent sine subjecto*: 2º ex verbis concilii Trid. jam citatis, *Manentibus duntaxat speciebus panis et vini*; 3º auctoritate S. Thomæ et consensu omnium fere theologorum, a quo recedere periculosem est; 4º praxi Ecclesiæ, quæ ubique terrarum cantat: *Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latent res eximiae*; 5º ratione. De natura substantiæ non est ut per se subsistat, siquidem humanitas Christi absque divinitate eam perficiente nunquam fuit: ergo *a pari* de essentia accidentis non est ut in subjecto resideat.

§ III.— De modo quo Christus est sub speciebus panis et vini.

Quæstio est an Christus sit totus sub utraque specie et sub singulis uniuscujusque speciei partibus.

PROPOSITIO.

Christus est totus sub utraque specie et sub singulis uniuscujusque speciei partibus sensibilibus, saltem separatione facta.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

1º *Est de fide.* Traditur in Decreto ad Armenos, his verbis: « Toton Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. » Et in concil. Trid., sess. 13, can. 3, sic definitur: « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae, sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit. » Ergo 1º.

2º *Probatur Scriptura sacra.* I Cor. xi, 27: *Quicumque*

manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Apostolus non dicit, Quicumque manducaverit et biberit, sed manducaverit, vel biberit: sensus est disjunctivus, et tamen pronuntiat absolute indigne manducantem vel bibentem, fieri reum corporis et sanguinis Domini. Ergo 2º.

3º *Praxi Ecclesiæ,* quæ Christum semper venerata est sub utraque specie et sub singulis partibus separatis, fragmenta hostiæ divisa fidelibus præbens et calicem consecratum dividens, totum Christum tradere judicabat. Ergo 3º.

4º *Ratione.* Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: igitur dividi non potest. Unde ubi est corpus, ibi est sanguis et anima. Divinitas autem humanitati hypostatice unita, ab illa nunquam separatur: ergo 4º. Aliunde, etc. Ergo.

Dixi 1º *partibus sensibilibus*: nihil enim demonstrat Christum esse præsentem sub partibus specierum adeo tenuibus ut sensus nostros omnino fugiant; partes nullo modo sensibles jam panis et vini apparentiam non habent. *Saltem separatione facta,* et hoc fides docet, *ut ostendimus.* De fide vero non est totum Christum esse sub singulis specierum partibus ante divisionem, sed omnino certum videtur. Nam 1º concil. Trid., sess. 13, cap. 3, ait in fine: « Toton et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsis speciei parte, totus idem sub vini specie et sub ejus partibus existit. » Ibi nullam facit mentionem separationis; eam vero in canone 3 expressit, ne liberas scholasticorum sententias anathemate percuteret, ut narrat Palavie., l. 12, cap. 1, n. 4. 2º Toton Christus est sub singulis partibus, divisione facta: ergo et ante divisionem; repugnat enim solam divisionem corpus Christi in parte in qua non erat producere; alioquin laicus vel femina corpus ejusdem Christi producere et multiplicare posset, divisiones multiplicando. Ergo.

Non ideo multiplicia admittenda sunt corpora Christi sub unaquaque specie; Christus enim non est in specie modo naturali seu circumscriptive, ut aiunt theologi, sed

modo sacramentali et definitive; non eo modo quo corpora naturalia sunt in locis, bene vero eo modo quo anima est in corpore: tota singulis corporis partibus unita est, et, si Deus vellet, tota uniretur partibus a se divisis et sejunctis, sine sui ipsius multiplicatione. Sic et corpus Christi et totus Christus sub singulis specierum partibus existit, sive post divisionem, sive etiam ante divisionem.

Notandum est solum corpus esse sub specie panis, vi verborum, et solum sanguinem sub specie vini: nam, ut ait S. Th., verba id tantum per consecrationem producunt quod significant. Sed quia Christus non dividitur, ubi est corpus ejus, ibi est sanguis, anima et divinitas per concomitantiam.

Quoniam Christus non est in Eucharistia sicut in loco, sequitur illum non moveri secundum se, sed tantum ratione specierum, sicut anima nostra ratione corporis: actiones ab organis sensuum pendentes exercere non potest, nisi consuetis hujus sacramenti regulis derogetur; verum nihil obstat quominus alias actiones libere exerceat, v. g., intelligat, visione beatifica gaudeat, etc.

§ IV.— De duratione praesentiae Christi sub speciebus panis et vini.

Primum tenuit Lutherus, cum tota Ecclesia, prolatis verbis consecrationis statim praesens esse corpus Christi, et permanere quamdiu species manent integræ. Verum anno 1536, cum de pace inter varias Reformatorum sectas ageretur, *Bucer*, celebris Lutheri discipulus, Sacramentarios sibi conciliare volens, dixit Christum non diu permanere in Eucharistia, sed in usu tantum adesse. Hoc concessit Lutherus, et pace verbis inita, non fide, Lutherani et Zuingiani communem celebraverunt coenam in signum communis fidei circa hoc sacramentum, quod evidenter falsum erat, ut experientia monstravit. Postea docuerunt Lutherani auctore Chemnitio, corpus Christi in sacramento manere durante coenæ actione, dum scilicet panis benedicitur, frangitur, distribuitur, manducatur et ad absentes immediate defertur, non vero ubi in pyxide asservatur.

PROPOSITIO.

Christus est sub speciebus panis et vini modo permanente.

Prob. Propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

1º *Est de fide;* definita enim fuit in concil. Trident., sess. 13, can. 4, his verbis: « Si quis dixerit, peracta » consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento non » esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed » tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, » et in hostiis seu particulis consecratis quæ post commu- » nionem reservantur vel supersunt, non remanere verum » corpus Domini; anathema sit. » Ergo 1º.

2º *Prob. Scriptura sacra.* Christus enim dixit, ostendendo panem consecratum: *Accipite et comedite; hoc est corpus meum;* et ostendendo vinum benedictum: *Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus Novi Testamenti.*

Hæc verba *hoc est, hic est enim*, indicant corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini jam existere, ac proinde ante usum. Unde concil. Trid., sess. 13, cap. 3: « Reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim ha- » bent cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanc- » titatis auctor ante usum est; nondum enim Eucharis- » tiam de manu Domini Apostoli suscepserant, cum vere » tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. » Ergo 2º.

3º *Praxi Ecclesiæ.* 1º In primis Ecclesiae saeculis fideles sacram servabant Eucharistiam in domibus suis, ut ea pri- vatum vescerentur, ut constat ex Tertull. ad Uxorem, l. 2, cap. 5: « Non sciet maritus (infidelis) quid secreto ante » omnem cibum gustes; et si sciverit panem, non illum » credet esse quid dicitur. » Ex S. Basilio qui, Epist. 93, alias 289, de frequenti corporis et sanguinis Domini sus- ceptione tractans, testatur ex antiquo more fideles con- suevisse, tempore persecutionis, defectu sacerdotis vel diaconi, communionem propriis manibus sibi præbere; omnes monachos in desertis habitantes, ubi non habent presby-

teros, Eucharistiam conservare, ut eam sibi administra-
rent; et saeculares idem fecisse Alexandriae ac in Ægypto.
2º Illud sacramentum per presbyteros vel diaconos antiqui-
tus deferebatur ad ægrotos sub nomine viatici, ut patet
exemplo venerabilis Serapionis, a Dionysio Alexandrino
apud Eusebium, Hist. l. 6, cap. 44, relato. 3º Juxta Græ-
corum liturgiam quæ S. Basilio attribuitur, et saltem est
antiquissima, cunctis diebus jejunii in quadragesima, ex-
cepto sabbato, dicitur missa præsanctificatorum, sicut fit
apud nos die veneris Majoris hebdomadæ, id est, non
consecrat, sed offertur et distribuitur hostia prius con-
secrata et reservata. Ergo 3º.

4º *Ratione.* Vi consecrationis corpus Christi realiter fit
præsens sub specie panis, et sanguis sub specie vini: igitur
sacramentum istud non consistit, sicut alia sacramenta,
in actione transitoria; sed per se subsistit: si autem ali-
quo instanti realiter subsistat, nulla est ratio cur non sub-
sisteret quandiu species manent integræ; ergo 4º. Aliunde,
etc. Ergo.

Hanc veritatem ut pote Scriptura et traditione fundata-
tam clare admisit Leibnitz, *Syst. theol.*, p. 230.

Hinc 1º etiamsi hostia consecrata vel species vini a bes-
tia sorberetur, in immunda loca caderet, etc., nihilominus
Christus præsens esset, et tamen immunditatem non con-
traheret, nec aliquem experiretur dolorem; quia incor-
ruptibilis et impassibilis est.

Hinc 2º Christus desinit esse in Eucharistia statim atque
species ita corrumpuntur ut, juxta consuetum loquendi
modum, non videantur panis et vinum: tunc eo instanti,
ex lege a Deo in institutione hujus sacramenti statuta,
eadem speciebus substituitur materia quæ pani et vino cor-
ruptis naturaliter succederet. Hæc tamen substitutio, ge-
neraliter contingens, non magis est miraculosa quam ani-
marum creatio quæ fit quando nova formantur corpora.

Hinc 3º quoniam vinum cum alio vino saltem ejusdem
speciei mixtum non corrumpitur, nisi tota massa corrup-
tatur, gutta pretiosi sanguinis in dolium vini immissa,
suam retineret qualitatem, et totum vinum in dolio con-

tentum aliquatenus redderet sacrum, ita ut usibus sanctis
adhibendum foret, videlicet ad celebrandam missam et ad
ablutiones in fine missæ, aut infantibus usum rationis non
habentibus, vel adultis in gratia sanctificante constitutis
et jejunis propinandum esset.

Si autem vinum consecratum cadat in liquorem specie
diversum et ita ei misceatur ut substantia vini non rema-
neat, ibi desinit esse Christus; secus vero si vinum conse-
cratum liquorem specie diversum sibi ita assimilet ut idem
semper appareat vinum, licet particulae adjunctæ realiter
non sint consecratae.

Hinc 4º qui sacras species retinet in ore donec dissol-
vantur, sacramentum non suscipit, nec proinde gratiam
sacramentalem obtinet, quia Christus non manducatur,
nisi species in stomachum trajiciantur. Ita, cum pluribus
aliis, S. Ligoriū, l. 6, n. 226. Unde qui moritur dum hos-
tia est in ore ejus, gratiam non percipit.

Notandum species per communionem susceptas non diu
manere integras. Refert Card. de Lugo plures medicos a
se Romæ consultos, putasse formulas laicis destinatas,
intra minutum corrupti, et magnam formulam, cum spe-
cie vini intra medium quadrantem: hoc utrumque ap-
probat, et censem in laico intra quinque *Pater* et *Ave* con-
summari, et in sacerdote postquam vestibus est exutus.
Saltem post quadrantem, etiam in sacerdote, utraque spe-
cies omnino corruptitur, nisi forsitan stomachus propter
pituitam, senium, etc., sit debilis. Sic. S. Ligoriū, l. 6,
n. 225.

Requirit tamen Continuator *Tournely*, « propter sacra-
menti reverentiam, ne laici ante quadrantem, sacerdo-
tes vero ante mediae horæ tempus ad vomitum se pro-
» vocent. »

Cum sputa ex capite vel ex pectore communiter prove-
niant, multo minus in his timenda est profanatio quam in
vomitū: cavendum nihilominus ad cautelam, ne statim
emitantur, aut si necessitas incumbat, in linteo vel loco
mundo deponantur. Post aliqua momenta nihil est ti-
mendum.

Hinc 5^o particulae vel minimae, modo sensibiles, sedulo colligendae et custodiendae sunt, cum Christum realiter contineant: non tamen summa et inquieta adhibenda est vigilantia, quia Christus sacramentum Eucharistiae instituendo quædam illius fragmenta deperdenda prævidit et solummodo curam prudentem a nobis exigit; quod rubrica missalis Romani supponit dicens: « Sacerdos inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sint in eo. »

§ V. — De cultu Christo in divina Eucharistia debito.

Lutherani, nolentes Christum esse in Eucharistia extra usum, et Calvinistæ præsentiam ejus realem negantes, contendunt nullum cultum huic sacramento exhibendum esse, vocantque Catholicos *artolatras*, seu panis adoratores.

PROPOSITIO.

Cultus latræ Christo debetur in Eucharistia.

1^o Ista propositio est de fide. Concil. Tridentin. habet, sess. 13, can. 6: « Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latræ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; an Thema sit. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. traditione.* Citari possent S. Greg. Naz. in oratione funebri sua sororis Gregoriæ; S. Chrysost. in Homil. 24, in I Epist. ad Cor., etc. Cæterorum teneat locum S. Aug. in Ps. 98, n. 9: « Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccamus adorando, sed peccemus non adorando. » Ergo.

Unde Leibnitz, *Syst. Theol.* p. 260: Adorasse (Eucharistiam) et veteres constat; et sane Ambrosius atque Augustinus illud psalmi, *Adorate scabellum pedum ejus*, de adoratione carnis Christi in mysteriis interpretantur. »

3^o *Praxi Ecclesiæ.* In cunctis liturgiis, etiam antiquissimis, Christus in Eucharistia adoratur, ut fuse et clare ostendit P. Le Brun.

4^o *Ratione.* Constat, ex dictis, totum Christum sub speciebus consecrat modo permanenti residere: atqui Christus, cum Deus sit, cultu latræ est adorandus, ubicumque existit: ergo.

Cultus igitur quem exhibemus Christo in Eucharistia non terminatur ad species quæ suo genere tamen honorari possunt, sed ipsi personæ Christi redditur, et ideo est absolutus.

Dicamus cum synodo Trid., sess. 13, cap. 5: « Pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, atque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. »

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIE.

Nomine materiæ hujus sacramenti, intelliguntur elementa quæ ad illud consciendum adhibentur: in omnibus ecclesiis, catholicis, schismatis et hæreticis, adhiberi solent panis, vinum et aqua. Itaque dicemus 1^o de pane; 2^o de vino; 3^o de aqua; 4^o de modo quo materia debeat esse præsens et determinata; 5^o de unione utriusque speciei in consecratione.